

si quod cogitaveris, atque conceperis, opere compleveris, vel complere decreveris: in quo notatur consensus viri, sive patratis peccati. Pronepotem autem, si non solum feceris, sed si in eo glorieris, & hæc est quarta generatio. Non quia tres præcesserint; sed quarta dicitur, quia quarto loco à primo motu, qui est quasi pater, enumeratur. Dens igitur primos, & secundos motus, id est stimulos cogitationum, quos Græci (1) propatheis vocant, sine quibus nullus hominum esse potest, non puniet æternaliter; sed si cogitata quis facere decreverit, & quæ fecerit, corrigere noluerit: quæ sunt mortalia peccata, & tertia, & quarta generatio.

Per quid probetur, quod primus motus non puniatur æternaliter.

Ad probandum vero, ut ait Hieronymus, quod primus pulsus cogitationis non puniatur æternaliter à Deo, illud de Genesi 1x. 25. afferendum est. Cham enim peccavit irridens nuditatem patris; & sententiam non ipse, sed filius ejus Chanaan accepit. „Maledictus Chanaan, servus erit fratrum suorum.“ Quæ enim justitia est ut pater peccaverit, & filius punitus sit? Sed in mysterio illud dictum est.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit de peccato originali quantum ad principium, & quantum ad terminum, ostendens quomodo à parentibus contrahatur, & quomodo per baptismum dimittatur; hic determinat de eo quantum ad numerum, inquirens, utrum originale sit unum, vel multa: & dividitur in duas. In prima requirit, si peccatum originale sit unum, quasi ex uno peccato causatum, & inductum; an multa, quasi ex peccatis omnium præcedentium parentum relictum: & ostendit quod ex peccato primi parentis inducitur tantum. In secunda inquirit si ex peccato proximorum parentum aliqua poena in filios redundet, ibi: *Et licet peccatis parentum, nisi Adæ, parvuli non obligantur, non est tamen diffidendum peccata parentum in filios redundare.* Prima dividitur in duas. In prima ostendit quod ex solo peccato primi parentis tota posteritas originali inficitur. In secunda inquirit de illo peccato primo, cuiusmodi fuerit, ibi: *Hic quæritur, utrum peccatum Adæ transgressio, ex quo processit originale, gravius fuerit cæteris peccatis.* Prima dividitur in tres. In prima movet quæstionem; in secunda inducit probationem ad partem falsam, ad ostendendum peccata præcedentium parentum in parvulos transire, ibi: *De hoc Augustinus in Enchiridio ambigue disserit.* In tertia inducit ad partem veram, ibi: *Deinde de parentum præcedentium peccatis, utrum parvulis imputentur, magis opinando quam asserendo disceptat.* Quod autem peccatum originale ex pluribus peccatis causetur, & non ex uno tantum primi parentis, tripliciter in secunda parte ostendit. Primo ex auctoritate Exodi xx. 5. *Ego sum Deus visitans iniquitates patrum usque in tertiam, & quartam generationem.* Secundo ex hoc quod in Scriptura originale pluraliter significatur, ibi: *Et quod non illud solum primi hominis delictum parvulos teneat, sed etiam alia, illi quibus ita videtur, ex eo confirmant quod etiam parvuli dicuntur baptizari in remissionem peccatorum.* Tertio ex multiplicitate peccati ipsius Adæ, ibi: *Quod vero in actuali Adæ peccato plura notari valiant peccata, Augustinus in Enchiridio insinuat.*

Deinde de parentum præcedentium peccatis, utrum parvulis imputentur, magis opinando quam asserendo disceptat. Hic inducit ea quæ sunt ad contrariam partem: & primo ostendit quod etiam ea quæ prædicta sunt ab Augustino, per modum dubitationis tradita sunt; secundo ostendit quod etiam ejus sententiæ contradiceret, si ita poneretur, ibi: *Alioquin sibi contradiceret: ubi etiam solvit ea quæ pro parte alia inducuntur, ibi: Quod si est, non ergo peccatis parentum præcedentium obligantur, nisi Adæ.*

(1) *Lege propathias.* (2) *In editis cæteris.* (3) *Al. in tertia.* AR-

Hic quæritur, utrum peccatum Adæ... gravius fuerit cæteris peccatis. Hic inquirit, quale fuerit illud Adæ peccatum, quod totam humanam naturam infecit: & dividitur in partes duas. In prima inquirit de gravitate ejus, utrum scilicet cæteris peccatis gravius fuerit. In secunda inquirit de remissione ipsius, utrum scilicet (2) primis parentibus remissum sit, ibi: *Si vero quæritur, an illud peccatum fuerit dimissum primis parentibus, dicimus eos per poenitentiam veniam consequutos.* Circa primum tria facit. Primo movet quæstionem. Secundo inducit quamdam opinionem, & probationem ejus, ibi: *Quibusdam ita esse videtur.* (3) Tertio inducit solutionem illius probationis, ibi: *Ad quod dici potest.*

Et licet peccatis parentum, nisi Adæ, parvuli non obligentur, non est tamen diffidendum peccata parentum in filios redundare. Ostendo quod peccata proximorum parentum in filios non redundant quantum ad infectionem originalis maculæ, hic inquirit utrum in eos redundent aliquo modo quantum ad aliquam poenam: & dividitur in partes duas. In prima movet dubitationem; in secunda determinat eam, ibi: *Sed ut ait Hieronymus... attendamus finem illius auctoritatis.* Et dividitur in duas: quia primo determinat eam, exponendo auctoritates ad litteram; in secunda exponendo eas mystice, ibi: *Quod etiam mystice intelligendum esse ostendit.* Circa primum duo facit. Primo ponit auctoritates, & expositionem per quam ad concordiam reducuntur; secundo excludit quamdam objectionem, ibi: *Verumtamen si de imitatoribus illud accipitur, quare tertiam, & quartam generationem tantum commemoravit?*

Quod etiam mystice intelligendum esse ostendit. Hic determinat dubitationem secundum mysticam positionem: & primo ponit expositionem; secundo inducit probationem ejus quod supponerat, ibi: *Ad probandum vero, ut ait Hieronymus, quod primus pulsus cogitationis non puniatur æternaliter à Deo, illud de Genesi afferendum est.*

QUÆSTIO I.

HIC est duplex quæstio. Prima de unitate originalis peccati. Secunda de poena ejusdem. Circa primum quærantur tria.

Primo. Si peccata proximorum parentum in filios transeant quantum ad infectionem maculæ originalis.

Secundo. Dato quod non, si eos ad aliquam poenam obligant.

Tertio. Si originale peccatum est unum, vel multa.

ARTICULUS I.

Utrum aliquis contrahat maculam ex parentibus.

Il. P. q. lxxxix. a. 2. & de malo q. vi. a. 9.

AD primum sic proceditur. Videtur quod ex proximis parentibus aliquis contrahat maculam originaliter. In successiva enim generatione hominum quanto accipitur generans proximius, tanto efficacius similitudinem suam in genito inducit: unde filii magis assimilantur patribus quam avis, & proavis, & sic deinceps. Sed transductio originalis fit secundum assimilationem generantis ad genitum: quia in originali natus etiam in originali generat. Ergo magis contrahit natus originale per peccatum proximi parentis quam per peccatum Adæ.

2. Præterea. Ex libidine coitus, ut supra dixit Augustinus, relinquitur originale in prole. Sed libido illa est proximi parentis, qualitercumque sumatur. Ergo ex peccatis proximorum parentum proles originaliter inficitur.

3. Præterea. Omnium convenientium in specie est eadem relatio ad naturam speciei. Sed omnes homines in specie conveniunt. Si ergo Adam per actum proprium naturam humanam corrumpere potuit, videtur quod etiam alii per actualia peccata humanam naturam in seipsis corrumpant. Sed filius accipit naturam humanam à patre. Ergo oportet quod ex peccato actuali proximi parentis sequatur infectio originalis culpæ in prole.

4. Si dicatur, quod hoc non potest esse: quia ex quo natura humana corrupta est per primum (1) peccatum, ulterius per sequentia non corrumpitur; contra. Primum peccatum non ex toto naturam humanam corrumpit. Sed quod non ex toto corruptum est, adhuc corruptibile remanet, & magis quam primo fuit. Ergo humanam naturam possibile est etiam per sequentia peccata corrumpi; & præcipue cum alia sint æque gravia, vel graviora quam primum fuit.

5. Si dicatur, quod ideo per actum Adæ natura corrumpi potuit, quia ipse principium naturæ suæ fuit, quod aliis non convenit; contra. Ponatur quod aliquem alium hominem Deus ex limo terræ formaret: constaret quod istius Adam principium non esset. Sed illud quod est naturæ principium, habet habitudinem principii ad omnia participantia naturam illam. Ergo videtur quod Adæ non per se conveniat quod sit principium humanæ naturæ, sed per accidens tantum. Illud autem quod est per accidens, non causat variam habitudinem individui ad naturam speciei, in quantum species est. Ergo ex hoc non sequitur quod Adam potuerit inficere naturam humanam, cum & alii possent.

Sed contra. Roman. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit:* & loquitur de peccato originali, ut supra dixit Augustinus. Ergo tantum ex primo parente traducitur peccatum originale, & non ex peccatis proximorum parentum.

Præterea. Originale ex actu originis causatur. Sed actus originis est uniformis, & unus in tota natura humana. Ergo oportet quod infectio quæ ex eo consequitur, non in diversa principia, sed in unum tantum reducatur.

In II. Sent. Tom. II.

(1) *Al. parentem.*

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, nullus defectus traducitur de necessitate ex parente in prolem; maxime qui ex parte animæ se tenet; nisi qui naturam speciei respicit. Defectum autem ad naturam pertinentem solum primum peccatum induxit: ipsum enim discontinuavit adhesionem hominis ad Deum. Ex hoc autem quod continue homo Deo adhaerebat, hæc virtus illi indita erat: ut sub obedientia rationis continue subderetur inferiori vires, & sub obedientia animæ corpus; propter hoc scilicet quod ratio suo superiori continue subdita fuerat. Intercisa autem prima obedientia per hoc quod ratio primi hominis à Deo aversa est per peccatum, consecuta est disturbatio ordinis in inferioribus viribus ad rationem, & corporis ad animam. Sequentia autem peccata non sunt causa hujus intercisionis, scilicet rationis humanæ ad Deum: quia sive alii homines peccarent, sive non, semper hoc remanebat in natura humana quod aliquando ratio hominis à Deo aversa fuerat. Sed ex aliis peccatis relinquantur defectus, & corruptiones personam respicientes, in quantum qui peccat, efficitur prior ad peccandum: & ideo peccata actualia proximorum parentum nullo modo in filios transeunt.

Ad primum ergo dicendum, quod assimilatio generantis ad genitum, per se loquendo, est in natura speciei: quia generans univocum generat. Sibi simile in specie. Contingit autem quandoque quod etiam in accidentibus individui sit assimilatio filii ad patrem; sed hoc non est nisi in accidentibus corporalibus; ut quod podagricus generet podagricum; non autem in accidentibus animæ: non enim musicus generat musicum, sed rationalis rationale. Peccata autem proximorum parentum nihil in naturam corruptionis inducunt, in quantum natura est: quia natura jam corrupta est, secundum quod corrupti potuit per peccatum primi hominis: & ideo natura cum illa corruptione pervenit ad proximorum parentes, & cum illa corruptione naturam traduxit; & ideo dicitur, quod omnis homo generat, in quantum est Adam: & ita patet quod ex solo peccato primi parentis originale contrahitur.

Ad secundum dicendum, quod libido proximi parentis, per quam peccatum originale in prolem inducitur, quocumque modo sumatur, non habet virtutem inficiendi prolem macula culpæ, nisi secundum quod consecutum est ex voluntate inordinata primi parentis: & ideo tota causa infectionis in peccato primi parentis retorquetur.

Ad tertium dicendum, quod in Adam fuit natura integra dotata munere, quod Deus humanæ naturæ gratis contulerat: unde per peccatum ipsius potuit natura corrumpi in ipso, & per consequens in omnibus qui naturam humanam ab eo acciperent: quia genitum accipit naturam à generante qualem generans habet. In aliis autem hominibus invenitur natura jam corrupta: unde illius corruptionis ulterius istud peccatum causa esse non potest; sicut quod semel mortuum est, iterum non occiditur. In quocumque autem homine fuisset inventa humana natura integra, per peccatum ipsius poterat corrumpi in eo, & in his qui ab eo descenderent. Unde patet quod servatur eadem relatio omnium hominum ad naturam communem.

SS 2

Ad

Ad quartum dicendum, quod per peccatum personae non corrumpitur in natura illud quod ex principis naturae relinquitur, nisi forte quantum ad personam illam pertinet; sed corrumpitur solum quantum ad id bonitatis quod naturae superadditum fuit. Hoc autem totum per primum peccatum subtractum est. Unde illud naturae quod integrum remanet, per alia peccata corruptibile non fuit, nisi quantum ad personam peccantis, prout in eo relinquitur minor habilitas ad consequendum gratiam; & talis corruptio ab uno in alterum non transfunditur.

Ad quintum dicendum, quod principium alicujus naturae potest accipi dupliciter. Vel secundum quod natura consideratur absolute secundum rationem speciei; & hoc modo Adam non fuit principium naturae humanae nisi per accidens, nec sic etiam totam naturam humanam infecit: quia si aliquis de limbo terrae iterum formaretur, originale maculam non haberet. Aut prout habet esse natura communis in individuis; & hoc modo quodlibet generans est quodammodo naturae principium in genito; & secundum hunc modum ille homo, ex quo omnes homines geniti sunt, naturae humanae principium dicitur esse.

ARTICULUS II.

Utrum culpa proximorum parentum redundet in filios quantum ad poenam.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod culpa proximorum parentum in filios redundet quantum ad poenam. Primo per id quod dicitur Exod. xx. 5. *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitates patrum in filios*: & loquitur ibi de visitatione correctionis, quae per poenam fit. Ergo pro peccatis parentum filii puniuntur.

2. Si dicatur, quod intelligitur tantum de imitantes peccata patrum, ut in littera dicitur; contra. Ipsa imitatio qua quis peccatorem imitatur, peccatum quoddam est; nec est peccatum imitari, sed imitantis. Si ergo pro hoc puniuntur filii, quod peccata patrum imitantur, non peccata patrum in eis visitat Deus, ut Scriptura dicit, sed peccata propria.

3. Praeterea. Non magis peccat qui imitatur patrem in aliquo genere peccati, quam ipse pater peccaverit in eodem peccato; immo forte minus, secundum quod habet (1) majus inclinans ad peccandum, scilicet exemplum patris. Sed qui plus non peccat, plus non debet puniri. Si ergo pater pro illo peccato temporaliter punitus non fuit, injustum est ut pro ejus imitatione filius puniatur. Si ergo puniatur, videtur quod pro utroque peccato filius puniatur, scilicet proprio, & patris.

4. Praeterea. Justitia humana exemplata est à divina. Sed secundum humanam justitiam filii pro peccato parentum exheredantur. Ergo & secundum divinam justitiam filii pro peccatis patrum puniuntur.

5. Praeterea. Magis est conjunctus filius patri quam populus Regi. Sed pro peccato Regis populus punitur, ut legitur II. Regum ult. quando David populum numeravit. Ergo multo fortius pro peccato parentum filii puniuntur.

Sed contra. Ezech. xviii. 19. *Filius non portabit iniquitatem patris*. Portaret autem, si pro ejus peccato poenam subiret. Ergo filii pro peccatis parentum non puniuntur.

(1) Al. magis inclinans. (2) Al. deest ad illam. (3) Al. poena ut per se.

Praeterea. Poena responderet culpae. Sed culpa patris actualis non transfunditur in filium. Ergo injustum est quod pro culpa patris filius puniatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod filius potest dupliciter considerari: vel in quantum est persona quaedam; vel prout est quaedam res parentis: quia ad felicitatem civilem inter alia bona fortunae quae conferuntur organice (2) ad illam, etiam proles conferre dicitur I. Ethic. cap. xxi. à Philosopho. Est autem filius res quaedam parentis quantum ad corpus, quod à patre habet, & quantum ad res mundi, de quibus filius patrem juvare tenetur. Sed quantum ad animam, quae immediate à Deo creatur, non est res parentis, sed ipsius Dei: & hoc significatur Ezech. xvi. 1. 4. *Sicut anima patris mea est, ita & anima filii*.

Sciendum est ergo, quod peccatum consequitur duplex poena. (3) Una per se, quae ad animam pertinet, & in praesenti, ut amissio gratiae, & turbatio conscientiae, & huiusmodi, & in futuro, ut poena inferni; & huiusmodi poena numquam filius pro peccato patris punitur, quia ista poena non attingit ipsum secundum quod est res patris. Alia poena consequitur peccatum quasi per accidens, sicut infirmitates corporales, & aliae poenae temporales: unde nec etiam semper peccantibus tales poenae infliguntur, sed secundum moderationem providentiae divinae cuncta gubernantis: & tali poena quandoque punitur filius pro peccato patris, nisi fiat impedimentum ex parte filii, ut contrarius peccato patris existat per bonam vitam: haec enim poena contingit ipsum secundum quod est res patris; sicut etiam pro peccato hominis quandoque occiduntur animalia, & effodiuntur domus, in quibus nulla est culpa.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas ista intelligitur de poena temporali, & in illis qui imitando peccatum parentum, non praestant impedimentum vindictae.

Ad secundum dicendum, quod imitatio non ponitur causa prima, pro qua poena temporalis infligitur; sed quasi causa media per quam influentia causae primae ad effectum conjungitur: virtus enim peccati parentis non pervenit in istum, si peccato repugnet. Sed per imitationem quodammodo continuatur: unde ex hoc non tollitur quin pro peccato patris aliquo modo puniatur.

Ad tertium dicendum, quod in filio imitante peccatum patris est duplex ratio quare temporaliter puniatur: tum quia ipsemet peccat imitando patrem; tum quia res patris est, & decet ut pro peccato patris puniatur, in quantum est res ejus. In patrem autem erat una ratio tantum; & ideo magis punitur filius quam pater, & praecipue quia contingit ut filii qui peccata patrum imitantur, libenter peccent, quasi in his nutriti, & in plura peccata se praecipiant cum minori conscientiae remorsu propter consuetudinem, & auctoritatem majorum suorum.

Ad quartum dicendum, quod justitia humana non punit filium pro peccato patris in eo etiam quod ex patre jam accepit; sed in eo quod ex patre accepturus esset vel quantum ad corpus, vel etiam quantum ad possessiones: non enim quia pater peccat, filius jam natus truncatur, neque filius mancipatus exheredatur; sed per accidens poena patris redundat in filium, quando patri auferitur id quod in filium ex

ex patre transire debebat, ut hereditas, vel etiam membrum, quia ex truncatis truncatus nascitur.

Ad quintum dicendum, quod populus est res Regis, & punitur populus, ut in poena ejus Rex puniatur: & hoc praecipue contingit, ut Gregorius dicit, Lib. XXV. Moral. cap. xxiv. quando peccata populi merentur ut super eos Rex peccator constituatur, vel in peccatum labi permittatur, ut Job xxxiv. 30. *Qui regnare facit (4) hypocritam propter peccata populi*. Et sic patet quod populus etiam pro peccato proprio punitur.

ARTICULUS III.

Utrum peccatum originale sit unum tantum.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod peccatum originale non sit unum tantum. Quod enim pluraliter significatur, unum esse non potest. Sed Sancti de originali loquentes, pluraliter ipsum significant, ut Rabbanus, qui dicit, (a) de poenit. dist. iv. quod homini in peccatum redeunti, non solum peccata quae post baptismum egit, imputabuntur ad poenam, sed originalia quae in baptismo ei dimissa sunt, ut IV. Lib. Sententiarum xxi. dist. dicitur. Ergo originale peccatum non est unum tantum.

2. Praeterea. Impossibile est quod unus habitus inclinet ad omnes actus peccati, praecipue cum quidam eorum ad invicem contrariantur. Sed secundum Anselmum, de peccato originali cap. vii. originale est pronitas ad omne malum. Ergo impossibile est quod sit unum tantum.

3. Praeterea. Uni culpae debetur una poena. Sed peccato originali multiplex poena debetur, ut carentia visionis divinae, necessitas moriendi, & huiusmodi. Ergo non est tantum una culpa.

4. Praeterea. Impossibile est idem accidens in anima & corpore esse sicut in subiecto. Sed feditas originalis ex carne resultat in animam, & tamen postquam animam infecerit, in carne esse non desinit. Ergo non est una tantum infectio, sed plures.

5. Praeterea. Diversarum potentiarum diversae sunt privationes, & habitus. Sed per originale omnes potentiae animae sunt corruptae. Ergo originale impossibile est unum esse.

Sed contra. Rom. v. in Glossa (b) *Unus homo unum peccatum misit in mundum*: & loquitur de originali. Ergo originale est unum.

Praeterea. Subiectum originalis est essentia animae, ut supra dictum est. Sed essentia animae est tantum una. Ergo originale est tantum unum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in aliquo habente plures partes potest esse corruptio in partibus duplex: vel ex eo quod solvitur illa aequalitas ex qua omnium partium bona habitudo erat; vel ex eo quod solvitur aliquid eorum quod determinatam partem servabat, ut patet in corpore. Contingit enim debilitatem fieri in partibus corporis ex eo quod solvitur

aequalitas complexionis, ex qua erat vigor in omnibus partibus corporis, sicut in febre accidit; & ideo una febris est qua partes omnes corporis debilitantur, & non singulae in singulis partibus. Contingit etiam partes corporis debilitari per hoc quod defectus est alicujus in quod virtus membri consistebat; & tunc oportet quod diversis partibus diversae corruptiones respondeant, sicut quod oculus est lippus, & pes est claudus, & sic de aliis. Similiter contingit esse corruptionem in partibus animae dupliciter. Aut ex eo quod uniuscujusque partis animae fit corruptio quantum ad id quod proprium est sibi, sicut est in peccato actuali, quia per proprium actum potentiae inducitur prava dispositio, & habitus in ipsa; & secundum hoc oportet, ut plurium potentiarum sint plures corruptiones: non enim eodem habitu peccati corrumpuntur concupiscibilis, & irascibilis, & sic de aliis; sed sicut diversis habitibus virtutum perficiuntur, ita etiam diversis habitibus vitiorum corrumpuntur. Aut ex eo quod tollitur illud quod ordinis partes animae in recto ordine conservabat; & talis corruptio est per originale peccatum (5), quod est privatio originalis justitiae: & ideo peccatum originale, quo omnes partes animae corrumpuntur, est unum tantum in homine uno, in pluribus autem numero differunt.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum originale quodammodo est actualium peccatum, principium, in quantum fomes ad actualia peccata inclinat. Omnis autem effectus secundum virtutem est in sua causa. Peccatum ergo originale per essentiam est unum, sed virtute multiplex; & ideo pluraliter significari potest: vel propter multos defectus coincidentes.

Ad secundum dicendum, quod sicut movens est duplex: unum per se, & aliud per accidens, quod est removens prohibens: ita etiam inclinans ad peccatum invenitur in anima duplex: unum per se, scilicet habitus, & dispositio ex peccato relicta, quia secundum similitudinem dispositionis est actus ad quem dispositio inclinat; aliud per accidens; quasi removens prohibens; & sic peccatum originale ad omnia actualia inclinat, in quantum removel originalem justitiam, per quam vires à lapsu in peccatum continebantur. Et ideo non oportet quod secundum diversitatem peccatorum actualium diversificetur originale; contingit enim quod idem removens prohibens est causa per accidens contrariorum motuum, sicut patet in corruptione corporum mixtorum, quia abeunte virtute quae miscibilia in unum continebat, quodlibet elementorum in suum locum tendit.

Ad tertium dicendum, quod poena quae per se originali culpae responderet, est carentia visionis divinae; aliae autem poenae consequuntur ipsam quasi per accidens: quia ex quo subtracta est originalis justitia, qua corpus animae subiacebat, oportet quod vita hominis permaneat secundum exigentiam corporis: unde sequitur necessitas moriendi, quia corpus ex contrariis compositum est: & similiter est de aliis.

Ad quartum dicendum, quod subiectum originalis culpae non est caro, sed anima. Oportet enim quod in eodem subiecto sint privatio, & habitus:

(4) Vulgata addit hominem. (5) Al. addebatur prima est per actuale peccatum. Ex Edit. P. Nicol. (a) Refertur in Decretis dist. iv. de poenit. cap. i. §. Item Rabbanus: & ex ejus commentario in Matth. desumptum est ad illa verba: *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum*. (b) Quod subjungitur ex Glossa Rom. v. habetur super illud: *Per unius delictum*.

unde sicut illa originalis iustitia quæ in anima erat, continebat corpus a morte virtute animæ iustitiam habentis; ita etiam ex privatione quæ est in anima, resultat defectus omnis qui est in corpore: nec defectus iste erat in carne ante infusionem animæ in actu, sed virtute tantum, ut supra dictum est.

Ad quintum patet responsio per id quod supra dictum est.

QUESTIO II.

Deinde queritur de pœna originalis peccati: & circa hoc queruntur duo.

Primo. Utrum peccato originali post mortem debeatur pœna sensibilis in illis qui in originali tantum peccato decedunt.

Secundo. Utrum aliquem interiore dolore sentiat in anima spiritualem qui pro peccato originali tantum puniuntur.

ARTICULUS I.

Utrum pœna sensibilis debeatur peccato originali secundum se.

De mal. q. iv. art. 2.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod peccato originali secundum se debeatur pœna sensibilis. Dicit enim Augustinus (Fulgentius) de Fide ad Petrum, cap. xxvii. *Firmissime tenet, & nullatenus dubites, parvulos qui sine sacramento baptismatis de hoc sæculo transierunt, æterno supplicio puniendos.* Sed supplicium pœnam sensibilem nominat. Ergo parvuli qui pro solo originali puniuntur, sensibilem pœnam sustinebunt.

2. Præterea. Majori culpæ debetur major pœna. Sed originale est majus peccatum quam veniale: quia plus habet de aversione, eo quod gratiam subtrahit; veniale autem gratiam secum compatitur: & iterum æterna pœna punitur originale, sed veniale temporali. Cum ergo veniali peccato debeatur pœna sensibilis, multo amplius originali.

3. Præterea. Gravius puniuntur peccata post hanc vitam quam in vita ista, ubi est misericordiae locus. Sed in hac vita respondet originali pœna sensibilis: pueri enim qui solum originale habent, multas pœnas sensibiles sustinent, nec injuste. Ergo & post hanc vitam pœna sensibilis debetur.

4. Præterea. Sicut in peccato actuali est aversio, & conversio; ita & in peccato originali aliquid aversioni responder, scilicet privatio originalis iustitiæ, & aliquid conversioni, scilicet concupiscentia. Sed peccato actuali ratione conversionis debetur pœna sensibilis. Ergo & originali ratione concupiscentiæ.

5. Præterea. Corpora puerorum post resurrectionem aut erunt passibilia, aut impassibilia. Si impassibilia, & nullum corpus humanum potest esse impassibile, nisi vel per dotem impassibilitatis, sicut est in beatis, vel ratione originalis iustitiæ, sicut in statu innocentie: ergo corpora puerorum vel habebunt dotem impassibilitatis, & sic gloriosa erunt, & non erit differentia inter pueros baptizatos & non baptizatos, quod est hæreticum, vel originale iustitiam habebunt, & sic originali peccato carebunt, nec pro peccato originali puniuntur.

(1) Al. cum affecta fuerit in eam.

quod est similiter hæreticum. Si autem sint passibilia; omne autem passibile de necessitate patitur, activo presente: ergo presentibus corporibus sensibilibus activis sensibilem pœnam patientur.

Sed contra. Augustinus, Enchirid. cap. xciii. dicit pœnam parvulorum, qui originali tantum tenentur, omnium esse mitissimam. Sed hoc non esset, si sensibili pœna torquerentur, quia pœna ignis inferni est gravissima. Ergo pœnam sensibilem non sustinebunt.

Præterea. Acerbitas pœnæ sensibilis delectationi culpæ responder. Apocal. xviii. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Sed in peccato originali non est aliqua delectatio, sicut nec operatio: delectatio enim operationem consequitur, ut ex X. Ethic. cap. iv. patet. Ergo peccato originali non debetur pœna sensibilis.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod pœna debet esse proportionata culpæ, ut dicitur Isai. xxvii. 8. *In mensura contra mensuram (1) cum abjecta fuerit, iudicabis eam.* Defectus autem qui per originem traducitur, rationem culpæ habens, non est per subtractionem, vel corruptionem alicujus boni quod naturam humanam consequitur ex principiis suis; sed per subtractionem, vel corruptionem alicujus quod naturæ superadditum erat: nec ista culpa ad hunc hominem pertinet, nisi secundum quod talem naturam habet, quæ hoc bono quod in eo natum erat esse, & possibile conservari, destituta est: & ideo nulla alia pœna sibi debetur, nisi privatio illius finis ad quem donum subtractum ordinabat, ad quod per se natura humana attingere non potest. Hoc autem est divina visio: & ideo carentia hujus visionis est propria, & sola pœna originalis peccati post mortem: si enim alia pœna sensibilis pro peccato originali post mortem infligeretur, puniretur iste non secundum hoc quod culpam habuit: quia pœna sensibilis pertinet ad id quod personæ proprium est: quia per passionem hujus particularis talis pœna est. Unde sicut culpa non fuit per operationem ejus, ita nec pœna per passionem ipsius esse debet; sed solum per defectum illius ad quod natura de se insufficiens erat. In aliis autem perfectionibus, & bonitatibus quæ naturam humanam consequuntur ex suis principiis, nullum detrimentum sustinebunt pro peccato originali damnati.

Ad primum ergo dicendum, quod supplicium non nominat in auctoritate illa pœnam sensibilem, sed solum pœnam damni, quæ est carentia divinæ visionis; sicut etiam nomine ignis frequenter in Scriptura quælibet pœna figurari consuevit.

Ad secundum dicendum, quod inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet de voluntario: non enim est voluntarium voluntate istius personæ, sed voluntate principii naturæ tantum. Peccatum autem actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate ejus in quo est: & ideo minor pœna debetur originali quam veniali. Nec obstat quod originale non compatitur secum gratiam: privatio enim gratiæ non habet rationem culpæ, sed pœnæ, nisi in quantum ex voluntate est. Unde ubi minus est de voluntario, minus est de culpa. Similiter etiam non obstat quod peccato actuali veniali temporalis pœna debetur: quia hoc est

per accidens, in quantum decedens in veniali, tantam gratiam habet, virtute cujus pœna purgata est. Si autem veniale peccatum sine gratia in aliquo esset, perpetuam pœnam haberet.

Ad tertium dicendum, quod non est eadem ratio de pœna sensibili ante mortem, & post mortem: quia ante mortem pœna sensibilis consequitur virtutem naturæ agentis, sive sit pœna sensibilis interior, ut febris, vel aliquid hujusmodi, sive etiam sensibilis pœna exterior, ut ustio, sive aliquid hujusmodi; sed post mortem nihil agit virtute naturæ, sed secundum iustitiæ divinæ ordinem tantum, sive in animam separatam, in quam constat quod ignis naturaliter agere non potest, sive etiam in corpus post resurrectionem: quia tunc omnis actio naturalis cessavit, cessante motu primi mobilis, qui est causa omnis motus, & alterationis corporalis.

Ad quartum dicendum, quod dolor sensibilis responder delectationi sensibili, quæ est in conversione actualis peccati. Concupiscentia autem habitualis, quæ est in originali peccato, delectationem non habet: ideo dolor sensibilis non responder sibi pro pœna.

Ad quintum dicendum, quod corpora puerorum non erunt impassibilia ex defectu potentie ad patiendum in ipsis, sed ex defectu exterioris agentis in ipsa: quia post resurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, præcipue ad corruptionem inducendam per actionem naturæ; sed erit actio tantum ad puniendum ex ordine divinæ iustitiæ: unde illa corpora pœnam non patientur quibus pœna sensibilis ex divina iustitia non debetur. Corpora autem Sanctorum erunt impassibilia, quia deficiet in eis potentia ad patiendum: & ideo impassibilitas erit in eis dos, non autem in pueris.

ARTICULUS II.

Utrum pueri non baptizati sentiant in anima afflictionem spiritualem.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod pueri non baptizati afflictionem spiritualem in anima sentiant. Quia, sicut dicit Chrysostomus, in Matth. hom. xxxiii. in damnatis gravior erit pœna, quod Dei visione carebunt, quam quod igne inferni cremabuntur. Sed pueri visione divina carebunt. Ergo afflictionem spiritualem ex hoc sentient.

2. Præterea. Carere illo quod quis vult habere, sine afflictione esse non potest. Sed pueri vellent visionem divinam habere: alias voluntas eorum actualiter perversa esset. Ergo cum ea careant, videtur quod ex hoc afflictionem sentiant.

3. Si dicatur, quod non affliguntur, quia sciunt se non culpa propria ea esse privatos; contra. Immunitas a culpa dolorem pœnæ non minuit, sed auget: non enim si aliquis non propria culpa exheredatur, vel mutilatur, propter hoc minus dolet. Ergo etiam quamvis pueri non propria culpa tanto bono priventur, ex hoc eorum dolor non tollitur.

4. Præterea. Sicut pueri baptizati se habent ad meritum Christi, ita non baptizati ad meritum Adæ. Sed pueri baptizati ex merito Christi consequuntur præmium vite æternæ. Ergo & non baptizati dolorem sustinent ex hoc quod per demeritum Adæ æterna vita privantur.

5. Præterea. Absentari a re amata non potest esse

sine dolore. Sed pueri naturalem cognitionem de Deo habebunt, & eadem ratione naturaliter eum diligunt. Ergo cum ab eo sint in perpetuum separati, videtur quod hoc sine dolore pati non possint.

Sed contra. Si pueri non baptizati post mortem dolorem interiore habeant, aut dolebunt de culpa, aut de pœna. Si de culpa, cum a culpa illa ulterius emundari non possint, dolor ille erit in desperationem inducens. Sed talis dolor in damnatis est vermis conscientie. Ergo pueri vermem conscientie habebunt; & sic non esset eorum pœna mitissima, ut in littera dicitur. Si autem de pœna dolerent, ergo cum pœna eorum iuste a Deo sit, voluntas eorum divinæ iustitiæ obviaret; & sic actualiter deformis esset, quod non conceditur. Ergo nullum dolorem interiore sentient.

Præterea. Ratio recta non patitur ut aliquis perturbetur de eo quod in ipso non fuit ut vitaretur: propter quod Seneca probat (a) epist. xvi. ad Lucillum i. quod perturbatio in sapientem non cadit. Sed in pueris est ratio recta nullo actuali peccato obliquata. Ergo non turbabuntur de hoc quod talem pœnam sustinent, quam vitare nullo modo potuerunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc est triplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod pueri nullum dolorem sustinebunt, quia in eis adeo ratio obtenebrata erit ut non cognoscant se amisisse quod amiserunt: quod probabile non videtur, ut anima ab onere corporis absoluta ea non cognoscat quæ saltem ratione investigari possint, & etiam multo plura.

Et ideo alii dicunt, quod in eis est perfecta cognitio eorum quæ naturali cognitioni subjacent, & cognoscunt Deum, & se ejus visione privatos esse, & ex hoc aliquem dolorem sentient; tamen mitigabitur eorum dolor, in quantum non propria voluntate culpam incurrerunt pro qua damnati sunt. Hoc etiam probabile non videtur: quia talis dolor parvus esse non potest de tanti boni amissione, & præcipue sine spe recuperationis: unde pœna eorum non esset mitissima. Præterea omnino eadem ratione qua dolore sensibili, & exterius affligente non puniuntur, etiam dolorem interiore non sentient: quia dolor pœnæ delectationi culpæ non responder: unde delectatione remota a culpa originali, omnis dolor ab ejus pœna excluditur.

Et ideo alii dicunt, quod cognitionem perfectam habebunt eorum quæ naturali cognitioni subjacent, & vita æterna se privatos esse cognoscent, & causam quare ab ea exclusi sunt; nec tamen ex hoc aliquo modo affligentur: quod qualiter esse possit, videndum est. Sciendum ergo quod ex hoc quod caret aliquis eo quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit recte rationis; sed tantum ex hoc quod caret eo ad quod aliquo modo proportionatus fuit: sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc quod non potest volare sicut avis, vel quia non est Rex, vel Imperator, cum sibi non sit debitum; affligeretur autem, si privaretur eo ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit.

Dico ergo, quod omnis homo usum liberi arbitrii habens proportionatus est ad vitam æternam consequendam, quia potest se ad gratiam præparare, per quam vitam æternam merebitur: & ideo si ab hoc

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Epist. lxxv. id habetur... ut & Lib. II. de ira, cap. vi.